



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

92. Votum, pro Illustrissimo Senatu Panormitano circa moderationem
priuilegij, seu consuetudinis permittentis ciuibus huius vrbis non vendere
vinum de eorum vineis collecto iuxta taxam. Et inter alia, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XC.

Quidam habebat multa dolia vini generosi, cui apponebat magnam quantitatem aquae, sed ex illa mixture non efficitur deterioris, quod passim venditur ab aliis. Queritur inde, an possit rita conscientia sine onere restitutionis in venditione talis vini, exigere totum pretium à lege taxatum?

Idem potest queri de tritico, & aliis. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 5. 1.

§. 1. **N**on desunt DD. qui protus negant hanc mixtionem fieri posse. Sic Petrus de Ledefina in *summ. part. 2. tr. 8. cap. 3. post corol. 7. diff. 2. fol. mibi 425. col. 2.* Rebellius de *oblig. inst. part. 2. lib. 9. q. 9. n. 17.* & Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 12.* qui etiam citat Medinam, Molinam, Nauarrum, & Rodriguez. Et probatur hæc opinio: nam lex, v. g. taxat triticum, quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta. Igitur, si tale triticum ex industria cum aliqua mixtione venditur, minori quidem pretio vendi debet, quam sit à taxa legis præscriptum. Adde, ut ait Azorius *part. 3. lib. 8. c. 23. q. 3. in fine*, quod qui vinum aqua perfusum vendit, eo ipso vendit plus, quam habeat: nam, si habeat tres amphoras, vendit plus, quam tres amphoras. Ergo, &c.

2. Propter has rationes probabilis est hæc opinio: sed mihi longè probabilior sententia affirmatiua videtur, quam sequuntur Lopez in *instr. conscient. part. 2. c. 47. alias 192.* Ioan. de la Cruz in *divest. conscient. p. 1. præcept. 7. quest. 3. dub. 6. concl. 2.* Homobonus de *exam. Eccles. part. 1. tr. 8. c. 7. q. 21.* Lessius *lib. 2. c. 21. dub. 11. num. 87.* qui ait: [Cur quis rem suam non potest ad eum statum redire, in quo sunt res aliorum; & tunc eam vendere eodem pretio, quo alij? Fit hoc interdum in vino, tritico, & similibus speciebus, dum vino valde præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua; aut tritico valde puro fecale; ea tamen moderatione, vt non sint deteriora, quam quæ ab aliis passim venduntur.] Hæc Lessius.

3. Putabam, hanc sententiam citatos DD. tantum patronos habere; sed postea inveni Martinum Bonacinam, virum doctum; etiam illam amplecti in *disp. 3. de contract. quest. 1. punct. 6. num. 17.* & probat validissimis rationibus, quas accipe. Nam, asserit: talis venditor nullum damnum, vel iniuriam inferre emptori: non enim tenetur illi tradere res maioris perfectionis, & integritatis, quam ab aliis vendantur. Secundò, æstimatione rei defumitur per ordinem ad vsus humanos: cum autem, verbi gratia, vinum per admixtionem illam aquæ sit adhuc æque vtile ad vsus humanos; ad quos emittitur: ergo aliquis sic vendens, non peccat contra iustitiam, neque tenetur ad restitutionem, cum nullius damni causa censetur.

RESOL. XCI.

An Cives Panormitani possint vendere vinum ex eorum vineis, & prædictum collectum ultra pretium à lege impostum, & ut vulgo dicitur Acannetela?

Non autem si vinum ex aliis vineis emant, vt vendant, quia tunc peccant, & tenentur ad restitutionem. Ex part. 1. tract. 8. Refol. 8.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, ex privilegio meritò illis concessio, vt spe talis lucri allecti efficacius inuigilent ad vinearum cultiuationem, quæ in territorio dictæ ciuitatis existunt.

2. Sed notandum est, non posse, nisi vinum, quod ex suis propriis vineis collegerunt, tali pacto vendere;

non autem, si vinum ex aliis vineis emant: & contrarium facientes peccant, & tenentur ad restitutionem; quia privilegium hoc illis non concedit, sed tantum loquitur de vino à propria vinea collecto, quod est valde notandum: non enim defuerunt, qui contrariam sententiam in praxi deducere volebant, ego semper contrarium sensi; nec aliter dicendum est.

RESOL. XCII.

Votum pro illustrissimo Senatu Panormitano circa moderationem privilegij, seu consuetudinis permittentis Cuiusvis huius urbis non vendere vinum collectum iuxta taxam.

Et inter alia, quæ pro elucidanda doctrina huius questionis docentur, adducitur, quod privilegium, quod transiit in vim contractus, est vltro, citroque obligatorium, nec potest sine causa reuocari.

Et quod taxa frumenti in anno magna sterilitatis non est mutanda, sed seruanda. Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 1.

§. 1. **C**irca præsentem questionem, supposita veritate facti, pro dominis vinearum faciunt hæc argumenta.

Primo ex causa iusta, iuste conceditur aliquibus vendere ultra taxam, vt notat Megala in *2. lib. 2. cap. 6. q. 3. n. 105.* Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 364. n. 17.* & Ledefina in *summ. tom. 2. tr. 8. c. 32. diff. 12.* Sed hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c.

2. Secundò, privilegium quod transiit in vim contractus, est vltro citroque obligatorium, nec potest sine causa reuocari, vt notant vdecim Doctores, quos citat doctissimus Regens noster Corlettus in *Propugnaculo velligalis aduersus Messanenenses, fol. 25.* quibus ego addo ex Iurisperitis Gomez in *leg. 40. Tauri, n. 89.* Menochium *conf. 661. num. 12.* Molinam de *primog. lib. 4. cap. 3. n. 18.* Cabedum *Lasti. decis. 93. n. 14.* Riccium *part. 4. collectan. 862.* Borrellum de *præstan. Reg. Cathol. p. 5. n. 9.* Martam de *claus. part. 1. claus. 195. n. 9.* Velacum *consul. 62. num. 5. & consul. 120. num. 9.* & ex Theologis Salas de *legibus, disp. 20. sect. 18. num. 126.* Suarez etiam de *leg. lib. 8. c. 37. num. 7.* Sanchez de *matrim. tom. 2. lib. 8. disp. 33. n. 20.* & nouissimè doctissimum Basilium Pontium etiam de *matr. lib. 8. c. 19. §. 2. n. 12.* sed privilegium, de quo loquimur, transiit in vim contractus apparet, quia ex illo allecti, ideo aliqui vineas emerunt. Ergo, &c.

3. Tertio, pretium vini, quod Senatus vult moderare, non videtur ita excessiuum, vt aliqui supponunt, si consideretur notabilis excessus bonitatis prædicti vini, & ideo docuit Homobonus de *exam. Eccles. p. 2. tr. 9. c. 3. q. 3.* Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 362. n. 7.* Reginaldus *tom. 2. lib. 25. cap. 16. sect. 3. n. 284.* Bonacina de *contr. disp. 3. q. 3. punct. 4. n. 12.* cum aliis, quod frumentum notabiliter melius potest vendi ultra taxam. Sed vinum, de quo loquimur, est sine comparatione, notabiliter melius. Ergo iuste ita carius venditur.

4. Quarto, domini vinearum vt plurimum ita carius vendunt vinum in æstate, sed in dicto tempore adsunt multi emptores, & penuria vini. Ergo iuste eius pretium augetur vt notant Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 4. numero 30.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 4. num. 93.* & alij communiter. Adde, quod vinum multum minuitur in quantitate, quando à dominis in æstate conseruatur. Ergo, &c.

5. Quintò, statuta alicuius ciuitatis, per suum superiorem confirmata, non possunt remitti ab ipsa ciuitate, sed consuetudines ciuitatis Panormi fuerunt à Carolo V. confirmata. Ergo non possunt amplius per ipsam ciuitatem solâ, sine consensu Regis, remitti, vel mutari.

6. Sextò

6. Sexto, in tali venditione nulla iniuria fit emptoribus, quippe qui emere non coguntur, volenti autem, ac contententi nulla fit iniuria; ergo, &c. Et ita in simili casu asserunt aliqui apud Molinam *como 2. tractat. 2. disp. 364. num. 11.* Adde quod in tali venditione contententur emptores excessum pretij liberè condonasse. Ergo, &c.

7. Septimo, in lib. 1. §. si heres, ff. ad Treb. & in l. quarebarum, ad leg. Falc. & in l. si quis uxoris §. vlt. ff. de iuris, habetur quod res tanti valet, quanti vendi potest. Idem in l. si pretio §. vlt. ff. locati, dicitur, quod in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod plus sit, minoris emere; quod minoris sit, plus vendere, & ita iudicem se circumscribere. Ergo, &c.

8. Octavo, tandem sic argumentor. Hoc incrementum, ultra taxam legalem, ab illustrissimo Senatu dominis vinearum concessum, videtur iniustum, quia ex illo sequitur, quod eodem pretio vendatur vinum tempore sterilitatis, quo venditur tempore abundantie, sed hoc est iniquum. Ergo, &c. Et ita tempore magnæ sterilitatis, Pragmaticam, & taxam frumentum non esse seruandam testatur Nauarrus *cap. 25. num. 88.* Molina *tom. 2. tractat. 2. disp. 364. Rebellius part. 2. lib. 9. quæst. 3. num. 14.* & alij.

9. Sed his minime suffragantibus, dicendum est, ad illustrissimum Senatûm spectare, ne victualia pretio excessiuo vendantur pro libidine venditorum, vt habetur in l. 1. §. cura carnis, ff. de offic. prefest. verb. & notauit Auila *c. 17. pratorum, glossa, Aragonales, num. 1.* & Mexina in *prag. taxæ p. nis, concl. 1. num. 3.* & alij committere: non enim ad bonorum regimen confert, relinquere arbitrio venditorum pretia rerum, vt solide probat Salom. *tom. 1. in 2.2. quæst. 97. art. 1. contr. 2. n. 9.* Mercator de *contr. lib. 2. c. 6.* Lopez etiam de *contr. lib. 2. c. 3.* & alij Confirmatur hoc etiam ex l. pretia, ad legem Falcidiam, vbi sancitur, pretia rerum non debere ex affectu, & vilitate singulorum institui. Vnde ex his colligit Ioannes Valerius in *differentiâ vtriusque fori, de venditio, differ. 1. num. 2.* in quantum animæ discrimen sint demerit communitet omnes vendentes res, quantum pretium à Republica non taxatur. Nam solent petere vt plurimum pretium ad eum immoderatum, vt facile decipiant in geminato, & amplius: quod est valde deplorandum, Ita Valetus.

10. Nec valet dicere, supradictum vinum ita carius vendi ex privilegio, seu consuetudine, quam domini vinearum habent. Nam respondetur, quod privilegium eorum, quod patet ex contextu consuetudinis, & notat Martinus Mura *bic in cap. 61. n. 19.* est, vt possint vendere vinum ultra taxam metæ. Sed non sequitur ex hoc, vt habeant privilegium vendendi vinum, quo pretio voluerint, & exorbitanter, nam si aliqui quoad privilegium à lege taxationis eximuntur, comparatione ipsorum manet latitudo pretij naturalis. Vnde in casu simili notauit Turrianus *in 2.2. om. 2. disp. 57. dub. 5. n. 2.* Molina *tom. 2. tractat. 2. disp. 364. num. 13.* Ledesina in *summa, como 2. tractat. 8. c. 32. diff. 1. 1.* quod alienigenæ asportantes in Lusitaniam triticum ex Castella, à lege taxationis, per leges, & privilegium eximuntur (vt sunt in nostro casu domini vinearum) & tamen, hoc privilegio non obstante, tenentur ex mente supradictorum DD. vendere dictum triticum intra latitudinem iusti pretij naturalis, quod in eo loco, ex natura rei, scilicet taxatione legis, haberent: in qua latitudine poterunt vendere pretio supremo, non autem maioris nec ad hoc concessa est facultas, aut donatio Regis, vel Republicæ, ait Turrian. & Molina *vbi supra,* quæ omnia determinant in specie casum nostrum, sicut etiam determinatur per ea, quæ adducit Megala in *conf. 20. num. 5.* & seg. vide etiam Filiuc. *tom. 2. tract. 35. cap. 4. num. 39.*

11. Deinde etiam pro Illustrissimo Senatu dicen-

dum est, quod privilegium meretur amittere, qui privilegio abutitur, vt habetur in *cap. tuarum, de priuileg. & in alijs iuribus adductis per Barbof. in suis collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 33. cap. 11. n. 25.* & privilegium cuiuscunque conditionis, & qualitatis fit, cessat omnino, quando incipit esse iniquum; vt patet in l. ex facto de vulgar. & pupill. & in *cap. suggestum, de decimis; & notauit doctissimus Iurisconsultus Christophorus de Anguiano in tract. de legibus, tom. 1. lib. 2. controu. 15. n. 19.* Hæc autem omnia euenire in casu nostro patet, nam domini vinearum abutuntur supradicto privilegio: nam illud eis concessum fuit, vt feruentius ad vinearum culturam incumbere, permanendo tamen in venditione vini intra limites iustitiæ, non autem vendendo illud exorbitanter; neque Illustrissimus Senatus poterat permittere vendi vinum à dominis supradictis pretio excessiuo: nam hoc esset concedere privilegium iniquum contra iustitiam commutatiuam, quæ consistit in æqualitate rei, & pretij, vt post D. Thomam in 2. 2. q. 77. art. 1. in corpore, & ad primum, docet Regius in *suis resol. cas. 10. num. 1.* Homobon. in *examine Eccles. part. 2. tract. 9. c. 3. quæst. 3.* Vega in *sum. tom. 1. c. 121. cas. 6.* Turrianus *tom. 2. in 2.2. disp. 57. dub. 1. n. 3.* & alij communiter.

12. Vnde ex his omnibus apparet rectè Illustrissimum Senatûm abstulisse abusum supradicti privilegij, & illud moderasse intra latitudinem iusti pretij naturalis, & si aliquid amplius, ultra pretium rigorosum naturale, in ista taxatione, Senatus imposuerit, vt in posterum iustificetur, dicendum est, excessum illum à Republica, & omni populo concedi, ac condonari, quia bono communi expedit, ita ciues allicere ad vinearum culturam.

13. Restat modò respondere ad argumenta superius adducta. Ideo ad primum respondetur, rectè aliquando aliquibus permillum esse, vendere ultra taxam, vt est in casu nostro, non autem exorbitanter, vt asserunt mihi fecisse, vsque adhuc, dominos vinearum; sed intra latitudinem iusti pretij naturalis, vt de alienigenis asportantibus frumentum in Regnum Lusitanie; supra notandum est.

14. Ad secundum respondetur, quod dictum privilegium, dato, & concesso, quod transferit in vim contractus, modò non tollitur ab Illustrissimo Senatu, sed reducitur intra limites iustitiæ; & vt à principio concessum fuit; & ego puto, maiores nostros vendidisse quidem; vt hodie multi faciunt, vinum ultra taxam, non autem extra latitudinem pretij naturalis.

15. Ad tertium respondetur, contra opinionem Molinæ, & aliorum, insurgere Pilluc, *in 1. r. 35. c. 4. n. 86.* Salas *in de empt. & vend. dub. 12. n. 9.* & alios. Sed quidquid sit de probabilitate huius sententiæ, etiam secundum illam respondeo, quod excessus bonitatis supradictorum vinorum, meretur aliquid amplius, non autem totum id, quod domini vinearum exquirunt. Et Illustrissimus Senatus hoc mature considerans, & omnes alias circumstantias in tali casu necessariò considerandas idè licentiam præbet, vt in posterum ultra taxam pretij legitimi, cum aliquo incremento, vinum supradictum vendatur. Et notandum est cum Azorio *part. 2. lib. 8. c. 12. q. 1.* Ioan. de la Cruz *in direct. conse. part. 1. præcept. 7. q. 3. dub. 2. concl. 2.* & alijs communiter, quod in casu nostro, & similibus, non est à Senatoribus taxandum infimum pretium pro viliori vino, nec supremum pro perfectiori, sed medium vtrique proportionatum, nec in hoc attendenda sunt damna, vel commoda vnius, aut alterius.

16. Ad quartum respondetur, quod quia Senatus istas, & alias circumstantias, vt supra dictum est, mature considerauit; ideo concedit, quod dictum vinum cum incremento vendatur. Sed non sequitur, quod stante dicta penuria vini, & abundantia emptorum, possit

Sup. hoc supra ip. §. Tertio, huius Res. & in alia eius ant. not.

possit vendi pretio exorbitanti, ut modo vendi supponit Senatus.

17. Ad quintum responderetur, negando assumptum, cum doctissimo Iuriconsulto Hispano Christophoro de Anguiano, qui nouissime edidit *tract. de leg. tom. 1. lib. 1. contr. 6. n. 2.* ubi probat, quod statuta Communium inferiorum, puta vniuersitatis, per Principem conformantur, & possunt per easdem Communitates remitti, & conformatio Principis in tali casu solum operatur firmitatem statuti, qua non obstante possunt ciues, vt vniuersi illud reuocare, vt accidit in casu nostro, licet non reuocetur absolute dicta consuetudo, sed abusus circa illam tolluntur.

18. Ad sextum responderetur, non esse licitum maius pretium pro vino recipere, quia nemo cogitur illud emere: volenti autem non fit iniuria: nam pari ratione, vt bene ait Rebellius *part. 2. lib. 9. quest. 2. sentent. 1. nu. 7.* nulla emptio, quantumuis magno pretio ab emptore non coacto facta, esset iniusta: nec item vltra damnanda, si ex credito, vel ex mutuo, lucrum a debitorum non coacto recipitur, quae omnia concedere absurdum est. Ergo, &c. Falsum est etiam, emptores in tali casu censeri excessum pretij condonare. Nam respondeo cum Ioan. Valero in *differentijs vtriusque fori, differ. 1. n. 2. ver. venditio*, vix esse vllum, qui sponte velit dare plus iusto pretio, sed communitate id contingere, vel quia decipitur ignorans verum pretium, vel quia non potest aliter rem habere. Imo Lessius *lib. 2. c. 2. 1. dub. 4. num. 37.* & Tanner. *in 2. 2. D. Thom. disputat. 4. quest. 7. dub. 2. numer. 33.* Nauarr. *de rest. lib. 3. cap. 2. a num. 45.* & alij docent, talem donationem minime praesumendam esse, nisi coniunctio aliqua sanguinis, vel amicitiae intercedat, etiam si emptores sciant pretium rei, & liberè contrahant, absque fraudis, aut coactionis admixtione. Vide etiam Salas *de empr. & vend. dub. 26. n. 8.* & Filliuc. *tom. 2. tract. 2. s. c. 3. num. 69. & 70.* Adde quod in nostro casu ementes putabant pretium illud esse iustum, propter priuilegium, quod domini vinearum asserere habere, & ideo non potest vlla species donationis in tali emptione praesupponi. Ergo, &c.

Sup. hoc lege supra doctrinam Ref. 76. & alia eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 82. & hic supra in §. Septimo huius Ref.

Sup. hoc supra in Ref. 70. & in alij eius not.

19. Ad septimum responderetur, quod res tanti valet, quanti vendi potest, in quibusdam rebus raris, curiosis & pretiosis, quae solum ad splendorem pertinent. Sed verius est contrarium, & ita docet Tanner. *in 2. 2. disp. 4. q. 7. dub. 2. n. 34.* Lessius *lib. 2. c. 2. 1. dub. 3. n. 16.* Bonacina *de contract. disp. 3. q. 2. punct. 4. n. 28.* Nauarrus *c. 27. n. 78.* cum alijs. Aliqui * verò asserunt supradictum axioma esse verum in venditione sub hasta; sed hoc displicet Molinae *tom. 2. tr. 2. disp. 349. n. 11.* Morgali *in 2. 2. l. 2. c. 6. q. 2. n. 79.* Molfes. *in sum. tom. 2. tract. 12. c. 5. n. 148.* Salon. *in 2. 2. q. 77. art. 1. contr. 5.* & alijs.

20. Dicendum est igitur, quod res tanti valet, quanti vendi potest, intra latitudinem iusti pretij naturalis, non autem extra; & ita docet Azor. *p. 1. l. 8. c. 2. 1. q. 5.* Lopez *de contract. lib. 1. c. 13.* Ioan. Valer. *in differentijs vtriusque fori, ver. venditio differ. 1. n. 1.* qui citat Nauarram, Rebellium, & alios communiter.

21. Ad illud verò, quod per *l. si pretio*; concedatur licere naturaliter ementes, & vendentes se decipere: Respondeo cum Malder. *in 2. 2. tract. 5. c. 2. dub. 2.* Turrian. *tom. 2. in 2. 2. disp. 75. num. 4.* Pitigiano *in 4. sent. tom. 2. disp. 15. q. 2. art. 2.* & alijs DD. supra citatis, illa verba, *licere naturaliter*, intelligenda esse de deceptione intra medium iusti pretij: vel concessum esse in foro externo, idque naturaliter, quod naturalis ratio dicitur, cuiusmodi concessione vitandas esse lites. Secundum ergo naturalem rationem in foro externo significatur, permitti quod coram Deo, & secundum eandem rationem naturalem non licet; & ita etiam respondet glossa *in cap. cum dilecti, de empr. & vend. post D. Thomam in 2. 2. question. 77. art. 1. ad 1.* Vide etiam Salas

tractat. de empr. dubit. 26. numero 8.

22. Ad vltimum responderetur, quod tempore maximae sterilitatis, quod Deus aueriat, Illustrissimus Senatus in hoc tunc mature prouidebit; & aliquis contra Doctores illos, posset etiam respondere, nihil immutandum esse, quia in tali casu annus penuriae compensatur cum anno abundantiae, & ideo asserunt Doctores, quod taxa frumenti in anno magnae sterilitatis non est immutanda, sed seruanda. Et ita docet Petr. Nauarr. *de rest. lib. 3. c. 2. n. 2.* Michael de Palatio *de contr. lib. 2. c. 1.* Pontius *variarum disp. 1. q. 2. scholastic. c. 7. in fine.* Ledesma *in summa, 2. 2. tr. 8. c. 23. diff. 19.* Salas *de empr. & vend. dub. 7. nu. 3.* & nouissime Ioan. de la Cruz *in direct. cons. p. 1. p. 1. c. 7. q. 3. dub. 3. conclus. 1.* ubi asserit, hanc sententiam esse communem in schola Diui Thomae; & inter Regios Hispaniae Consiliarios.

23. Et haec circa praesentem dubitationem satis dicta sunt, quae olim scripsi ad instantiam Illustrissimi D. Caesaris Caietani Marchionis Sciurtini Praetoris huius vrbs, viri amicissimi; probitate, & rerum experientia insignis.

RESOL. XCIII.

An qui vendit vinum aqua dilutum descendendo tamen in pretio tantum, quantum cum eo vitio valet, quod emptori non manifestat, abs peccato, & reneatur ad restitutionem? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 80.

§. 1. **N**egatiue respondet Homobonus *de examine Eccles. tom. 2. tract. 9. c. 4. q. 8.* ubi sic asserit: *[S]i emptor vinum illud statim erat consumpturus, & ob illud occultum vitium, quod fit aqua dilutum, subtrahit, & in pretio descendit; tum à peccato saltem lethali, & à restituendi obligatione immunis erit, cum iure suo vsus fuerit, nec vlla iniustitia intercesserit. Secus, si illud erat conseruaturus, vel alteri venditurus; ita vt sibi, vel secundo emptori damnum crearetur: tunc enim, & charitatem, & iustitiam laesisset; si emptorem de occulto vitio non admonuisset. Ita ille: & Salas *tract. de empr. dub. 34. n. 4.**

2. Alteram verò limitationem supradictae opinionionis apponit Turrianus *in 2. 2. disp. 58. dubit. 6. num. 1.* videlicet, ne talis venditio sapius efficiatur: quia ex tali modo vendendi poterit minui commune pretium iustum: nam, licet vendendo dictum vinum aqua mixtum, non inferatur damnum emptori; fieri tamen poterit, vt pretium eius mensura vini, aqua non mixta, minuat. Cum enim ementes non agnoscat mixtionem aquae, existimant minui pretium, atque adeo ab alijs venditoribus nolunt emere maiori pretio. Vnde ex his apparet, quod sapius ita vendens inferret iniustitiam, & damnum.

RESOL. XCIV.

An, si quis trahat aliquibus vinum, vt nomine suo vendatur, si cognoscat illos minuendo mensuram & admiscendo aquam vendituros, peccet?

Ex quo inferatur posse quemquam pecuniam apud usurarium apponere, etiam si sciat fore illi materiam usurae exercenda.

Ex quo etiam deducitur, licere deferre munera concubinae iudicis; vt pro se apud iudicem intercedat, dum adest periculum alicuius grauis nocuenti, vel si alias ius suum à iudice minime consequi possit. Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 44.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docent Sanch. *in summa tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 37.* & Molfesius

Sup. hoc supra in Ref. 86. & in alij eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 112.

Sup. hoc supra in Ref. 112. & in alij eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 112. & in alij eius not.

Sup. hoc supra in Ref. 112. & in alij eius not.